

Frid. Hoffmann



Hof 168



1. Oanhaueri Politica Biblica
2. de Magis ex Oriente Cellarij.
3. Antonij de Praefatione M. Lutheri
in Libris Vet. Testamenti.
4. Cellarij de Joh. Baptista gula scapere.
5. Eijss. de Primo Principe Christiano
6. — de Captivitate Blabdomica
7. — de Pauci Capololi civitate lonana
8. — de excidio Sodoma.
9. Michaelis Muhamedismi laxitate morali
10. Hieronimij de genuina natiuitate
Christi Ara.
11. Cellarij de Vestem ecclesiarum Asiae.
12. Michaelis de usu 70 interpretation.
13. Cellarii de Pompeii Magni expeditione Iudaea
14. Olearii Programma.

7

QVOD FELICITER VERTAT
De
CAPTIVITATE
BABYLONICA
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
CHRISTOPHORO CELLARIO,
HIST. ET ELOQ. P. P. AC DECANO,
pro MAGISTRI Philosophiæ honoribus ac privilegiis
rite consequendis
d. XXVIII. Iunii MDCCXCIV.
DISPVTABIT
IO. CHRISTIANVS Naht/
Tettenborna-Hohnsteinensis.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ
Recudit Christian Henckel, Acad. Typogr.
M DCC III.

7

7

600 MILLIÈRES VERTICAL

CAPITULUM

IN ACADEMIA

CHRISTOPHORO CELLARIO

PRÆFATIO

DE REBUS

CHRISTIANIS

ET

DE REBUS

CHRISTIANIS

ET


DE REBUS

CHRISTIANIS

7

CHRISTIANIS





DE Babylonica Iudæ-
orum captiuitate disputaturis
ætas huius vrbis, & situs, & im-
perii circa eam vetusta forma
interpretanda sunt. Antiquis-
simam urbem fuisse, ex sacris
historiis non ignotum est, quæ
illam proximo post cataclysmum tempore memo-
rauerunt: at rudi illa ætate tantæ amplitudinis fu-
isse, quantam postea sub Persarum imperium habuit;
aut eisdem admirandis rebus ornatam, quibus po-
stea inclaruit; nemo facile historiarum peritis per-
suaserit. Qui Ctesiam Cnidium, non grauisimum
auctorem, more magis quam ratione sequuntur,
quod plerique recentium & antiquorum faciunt; ii
vel Semiramidi, vel Belo eius conditum attribuunt.
Curtius lib. v, cap. i. *Semiramis eam* (Babylonem)
condiderat, vel, ut plerique credidere, Belus, cuius ro-
gia ostenditur. Sed quam incerta sit Semiramidis
historia, aut potius fabulosa, alibi pluribus est de-
monstratum, quæ compendio exhibentur in *Historia*

A 2

An-

Antiqua pag. 4. Belum etiam & Nimrodum eundem fuisse, aut illum hoc non longe posteriorem, æque incertum est, neque ex antiquis monumentis approbatum. Circa Nimrodi autem tempora Babylonem existisse non est quod dubitemus.

II. Sita ad Euphratem fuit, ubi is fluuius vel natura in ramos, vel arte in fossas dispensatus est. Interluisse urbem, historiæ tradunt, quod de ramo putamus intelligendum esse. Multa solertia omnibus temporibus præcautum fuit, ne exundans flumen huic regiæ vrbi damnum grauius adferret. Hinc moles ingentes laudantur, quæ coercendo flumini antiqui reges & reginæ condiderunt, præsertim Semiramis Babylonia (non illa fabulosa Ctesia) & Nitocris, quarum industriam in cohibendo Euphrate Herodotus lib. I. cap. CLXXXIV. seq. prædicauit. In primis *Pallacope*, quam Arrianus lib. VII. descripsit, & clarissimus vir Iac. Gronouius singulari libro illustrauit, ita exhauferat Euphratis ad hanc urbem fluentia, vt obstrui eam fossam necesse fuerit, ne irrigatione Assyria priuaretur. Diuisus ita in fossas Euphrates illa כּבּל נהרות *flumina Babylonis* sunt, Psalm. CXXXVII, ad quorum ripas Iudæi sedisse & calamitatem suam deplorasse perhibentur.

III. De regiminis forma, quam antiquitus habuerat, aliquid adiciendum est. Sub Nimrodo non maxima vrbs, pro sæculi conditione, & caput imperii non amplissimi fuit, quo statu per Arabum etiam dynastiam, quam Syncellus ex Africano tradidit, videtur permansisse. Belum vero regem, qui suc-

succesfit, in maius & urbem & imperium auxisse, probabile est, quem Babyloniam potius, quam Assyriae praefuisse censemus, quod Babylone plura eius monimenta fuerunt, nulla, quantum constat, in Assyria. Si Halicarnassensibus credimus, Herodoto lib. i. cap. xcvi, & Dionysio principio operis, Assyriorum imperium ita arctatum limitibus fuit, ut Babylonem sub se haud continuerit. Sed quosdam etiam Babyloniam dominos fuisse, ex eo forsan probari potest, quod Assyrius Salmanassar cum aliunde, tum מבל *ex Babel* colonos in Samariam deduxit, ii. Reg. xvii, 24. quod vero breui post mutatum, & Babyloniam ereptam Assyriis ultimis fuisse, utique credibile est. Nam Hiskiae temporibus alius Assyriorum rex Sennacherib; alius Babyloniam Merodach erat, ut Babylonii ante Medos ab Assyriis defecisse videantur, saltem partem regni tenuisse, partem Assyriis fuisse, relictam, ex qua coloni Samariae deduci potuere, quia *Babel* aequae regionis & urbis nomen est: & secundum Ptolemæi canonem plures Babylonis reges Merodachum siue Mardokempadum antecesserunt.

IV. Hæc præmittenda erant, antequam captiuitatem Iudæorum explicaremus: præsertim quod prima deportatio magnam difficultatem ex eo habet, quod tempus definiri certo non potest, quando regna, Babylonium & Assyrium, coniuncta vel disrupta atque separata fuerint. Ut ergo facilius nos postea expediamus, res altius quodammodo repetenda est. Babyloniam, ante Nabonassarem condi-

torém regni noui, partem Assyriaci aliquamdiu fu-
 ille, probabile videtur, licet certo illud probari non
 possit, si Halicarnassensium de Assyriaco regno tra-
 ditionem sequamur. Sed hæc ante defectionem
 Medorum fuere. Nec vero post illam videtur aliter
 fuisse, quod Herodotus lib. I. cap. CVI. tradit, Cy-
 axarem, Medorum regem, Assyrios subiugasse.
πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μόνης, præter partem Babyloniam.
 Hieronymus Nebucadnezari tribuit euersionem Ni-
 ni siue Nineues. In Esa. XIII, 1. ait, *Nineue metro-
 polis Assyriorum, Chaldeo vastante subuersa est: & in
 Jerem. XXX, 16. Assyrios, hoc est Nineuen, vastauere Ba-
 bylonii atque Chaldæi: & in Nahum II, 11. Adhuc de
 Nineue dicitur, ad quam perrexit leo rex Babylonius, id
 est Nebuchodonosor, & catulus leonia, subreguli eius. - -
 Idem videlicet Nabuchodonosor victorie cuncta iure pos-
 sedit.*

V. Hæc ex Ebræis suis Hieronymus haud
 dubie hausit, quorum posterius eandem de Nebucad-
 nezare sententiam tuentur. Kimchi in Nahum I. I.
 זאת הנביאה נאמרה על נינוה ונרנוה היתה למלך
 אשור--ומלך אשור הרע לישראל והגלה אתם מארצם
 והקדוש ברוך הוא נקם נקמתם עמל ידי נבוכד
 נצר שהחריב מלכות אשור *Hæc prophetia dicta est de
 Nineue: Nineue autem erat regis Assyrii: --- & rex
 Assyria adfluxerat Israelitas, quum captiuos abduxit ex
 terra illorum. Deus autem hos ultus est per Nebucad-
 nezarem, qui euertit regnum Assyria.* Nec aliter
 Saadias Gaon in principium Danielis, בשנת ארבע
 ליהויקום מלך נבוכד נצר וכבש את ננוה

Quarto

Quarto anno Ioiakimi regnare cœpit Nebucadnezar & subegit Ninuen. Quod non putamus cum Herodoti sententia pugnare, qui Cyaxarem Medum tradit victorem Assyriorum extitisse. Tantummodo enim Halicarnassensis ille dicto loco scripsit: *Μέδι Νίνου εἶλον, expugnauerunt, & Assyrios ὑποχειρίδας ἐποίησαντο, sub potestatem suam redegerunt*: de vrbs autem euerfione & excidio nihil ibi memorauit, quod contra vulgarem opinionem, quæ Medis euerfionem tribuit, adnotare visum fuit.

VI. Hisce præstitutis, captiuitatem ipsam Babylonicam propius intuemur. Quemadmodum vero Assyriaca captiuitas ratione temporis non vna est, videlicet Tiglatpilefari, & Salmanassar; ita Babylonica Iudæorum omnino quadruplex est, deportatione non semel, sed quatuor distinctis temporibus facta. Prima etsi breuissimi temporis, tamen omnium vexatissima est seu ad explicandum difficilima. Est illa, qua *Manassès*, rex Iudææ, abductus Babylonem fuit, & quum resipuisset in carcere, in pristinam restitutus dignitatem. Cetera captiuitatis fati perspicua sunt: dux & auctor illius admodum dubitatus atque incertus est. Ratio dubitationis ex eo omnis suboritur, quod 11. Paralip. xxxiii, 11 *Manassèm regis Assyriæ exercitus dicitur Babylonem in captiuitatem abduxisse*. Si rex ille Assyriæ fuit, cur Babylonem captiuum abduxit, quæ inde a Baladani tempore seiuncta fuerat ab regno Assyriaco?

VII. Iosephus lib. x. cap. iv *βαβυλωνίων ἢ Χαλδαίων βασιλεία, Babyloniorum & Chaldæorum regem* vocat,

vocat, qui Manassem captivum duxit: & Zonaras Tom. I. p. 78 Βαβυλωνίων στρατιάν, *Babyloniorum exercitum*, a quo captus rex Manasses fuit. Hi nullam rationem habent vocabuli מַשָּׂא *Assyria*, quam vero omnes interpretes expresse-
 runt, Arabs etiam ماسل *Mausel*, quod recentius nomen urbis Nineves est, ut nullum dubium superesset, reddidit. Iacobus Cappellus, vir doctissimus, in *Historia Sacra & Exotica* p. 206. de Manassis victore ita sentit: *Ex his colligitur, hunc Assyriae regem habuisse regni sedem non Nineve, sed Babylone; atque adeo nulli deinceps ad Cyrum usque Assyriae reges leguntur, praeter Babylonios.* Sed quisnam ille rex, & quod nomen eius fuit? certe posteriorem Merodacho siue Mardokempado fuisse oportet, priorem autem Nebucadnezare. De intermediis pauca constant, & vix vnus & alter ex Ptolemæi canone, aut aliunde defertur, in quibus est *Assaradinus*, quæ vox cum *Assur* ex parte conuenit. Sed nolumus id viri nomen facere, quod regioni ceteroquin vbique attribuitur. Quod si ille Nebucadnezar primus rex ex Chaldæis est, qui Assyriam subiugavit, ut S. Hieronymus & Ebraeorum magistri credunt, atque ita hi certo credunt, ut הראשונה השנה *anno primo* regni sui Nebucadnezarem in Assyrios expeditionem fecisse Niniuenque deleuisse adseuerent; hoc, inquam, si est, ynde ante Nebucadnezarem coniunctio regnorum, Assyrii & Babylonii fuit, quod vtriusque oportet dominum existisse, si is, qui Manassen cepit, vere rex *Assyriae* fuit, & captivum suum *Babylone* detinuit? nisi velimus di-

dicere, Assaradinum iunxisse regna (quod clarissimus vir Chr. Schotanus etiam sentit) postea vero rebelles factos Assyrios a Nebucadnezare perditos, eorumque urbem deletam funditus fuisse.

VIII. Aut verbum *Assur* laxè interpretandum est, ut Babyloniam quoque significet, quemadmodum Mich. V. 5. *Terra Nimrod*, quæ Chaldæa est, videtur *Affyria* nomine significari, quamvis sciamus aliter doctissimum Bochartum de *Nimrod's terra* iudicasse. Sed vix certi aliquid in tanta scriptorum paucitate inuenitur: hoc autem certius omnino est, non diuturnam captiuitatem illius fuisse, quia LV. integris annis Manasses Hierosolymis regnavisse II. Reg. XXI, 1. legitur, nulla habita captiuitatis Babylonica ratione, quæ si diuturnior fuisset, utique facer historicus regni annos interrupisset: quæ etiam sententia illustris viri & Armachani Archiepiscopi Iacobi est Vsserii Annal. V. T. p. 109. quæ ut solidius confirmetur, de tempore, quando ductus Manasses in captiuitatem fuit, disquirendum nobis superest.

IX. Iacobus Cappellus dicto loco de captiuitate & liberatione Manassis ita scripsit: *factum hoc aiunt Iudei XXXIII. ante obitum Manassis anno. Chronici Iudeorum sententiam confirmat R. David Kimchi in Ezech. IV. auctoritate doctorum Talmudeorum.* Kimchi quidem meminit alicuius ררש, siue allegorica interpretationis, cuius auctor dicat ברשעו עשרים שנה ועשרה ימים *stetisse in impietate Manassem viginti duobus annis, antequam ageret penitentiam*: sed hæc interpretatio videtur Kimchio רחוק
B
107-

longius petita, quia auctor illius nihil ei probandæ adponat, nisi Scripturæ verba, *male fecisse Manassem*, כאשר quemadmodum Achab, qui xxii. annos regnauerat, quasi comparatio ad annorum numerum, non ad ipsam tendat malitiam & idololatriam. Ipse vero Kimchi ex alio calculo censet, היה שנה ארבעים מנשה ברשעתו ויהיה כתשובה חמש ועשרה שנה *Manassem quadraginta annis in impietatis, quindecim in poenitentiae statu fuisse.* Vtram sententiam sequamur, apparebit non integrum annum Manassem in captiuitate fuisse.

X. *Altera captiuitas fuit regis Ioiakimi*, qua multi ex nobilioribus Iudæorum, atque in iis etiam Daniel & socii eius, Babylonem abducti fuerunt, quod ipse prophetiæ suæ principio manifestauit. De rege ipso & excessu eius magna est controuersia, quod dicitur *catenis vinctus* a Nebucadnezare, II. Paralip. xxxvi, 6. & tamen *cum patribus obdormiuisse* II. Reg. xxiv, 6. sed *caruisse sepultura*, Ierem. xxii, 19. Qua difficultate pressus Abenefra in Daniel. I, 1. הוצרכתי לפרש הוליכו אל כבל ועמד בנחשתים כמו שנה וצוה נכוכר נצר ושב יהויקים למלכותו *Etus sum interpretari ita abduxit eum Babylonem, ubi vinculis circiter annum unum fuit: deinde Nebucadnezaris iussu in regnum suum restitutus est.* Quod vero nihil de annuo isto carcere Ioiakimi in sacris litteris memoratur; aliam conciliationis viam Ludouicus Cappellus in Chronograph. Sacra p. 200. nempe quum Ioiakimus per tres annos rebellasset, *venisse Nabuchodonozorem Hierosolymam, eam obsedisse,*
Ioi-

Ioiakimum cepisse, in vincula coniecisse ad abducendum
 Babylonem, sed mox forte morbo, vel alio casu oppressum
 indignum iudicasse sepultura, ac cadaver eius insepul-
 tum proiecisse extra mœnia Ierusalem, iuxta Ieremias
 prophetiam. Illustrissimæ memoriæ vir & Acade-
 miæ nuper nostræ Cancellarius SECKENDORFIVS
 in Histor. Eccles. quam Gothæ ἀνάγνωμον edidit,
 lib. I cap. II. sect. III eodem fere modo censuit.
 Putatur, inquit, in itinere decessisse Ioiakimus, & ex
 vaticinio Ieremias sepultura caruisse: mortuus tamen sim-
 pliciter refertur II. Reg. XXIV. 6. In qua sententia,
 quod probabilior non adfertur, omnino persisten-
 dum esse iudicamus. Iosephus quidem lib. x. Antiq.
 cap. VIII prodidit, deditioe facta Nebucadnezarem
 receptum ab Ioiakimo in urbem fuisse, fidem vero
 pactæ & promissæ salutis Chaldæum haud seruasse,
 sed cum nobilissima iuuentute interfecisse (ἀπέκτεινε)
 etiam ipsam regem, eumque ἀταφον ἐκέλευσε ριφῆσαι
 πρὸ τῶν τευχῶν, proici insepultum extra mœnia iussisse.
 Quod vero II. Reg. XXIV. 6. obdormiuisse cum patri-
 bus dicitur, violenter sublatum esse persuaderi non
 possumus.

XI. De tempore aliquid monent, quod dubi-
 tari possit, tam Ebræi, quam Christiani interpre-
 tes, nempe Ierem. xxv. i. quartum Ioiakimi annum
 dici primum Nebucadnezaris: at Daniel. i. i. tertio
 anno regni sui Ioiakimum cepisse, & vasa sacra aspor-
 tasse in terram Sinear, quod Saadias Gaon in Dan.
 I, i. ita conciliat, vt tertium regni annum non sim-
 pliciter, כִּי אֵין כְּשַׁנַּת שְׁלֹשׁ לְמָרְרָה sed tertium an-
 num

numi rebellionis & defectionis intelligat. Latius id deduxit & clarissime exposuit Lud. Cappellus, Nebucadnezarem post victum & fugatum Aegyptiorum regem anno regni Ioiakimi quarto, hunc annum postea & initium quinti anni in Phœnice, Palæstina, & Idumæa subiicienda consumfisse, & fine quinti anni Hierosolymam venisse & Ioiakimum fecisse tributarium, qui illi seruerit totos tres annos VI. VII. VIII. postea rebellasse per tres annos, quibus exactis, Babylonium regem & Hierosolymam cepisse, & in vincula Ioiakimum coniecisse, vt למלכות *regni* annus tertius esset, ex quo rebellarat, & regnare tanquam liber cœperat, non tanquam tributarius. De aliis conciliandi modis laudati antea auctores consulantur.

XII. Ioiakimo Nebucadnezar suffecit filium eius *Iechoniam*, qui & *Ioiachin* dicitur, quem vero post tertium mensem rursus deiecit, & cum familia regia & nobilissimo quoque Iudæorum Babylonem misit, quæ *tertia* deportatio vel captiuitas Babylonica est, eaque satis numerosa atque ita insignis, vt ab illa Chronologorum accuratissimi Iosephus Scaliger, Ludouicus Cappellus, & alii *septuaginta annos* captiuitatis numerare incipiant, id quod etiam temporum rationibus quam maxime putamus conuenire. Tum enim exhaustum, quidquid nobile, eximium ac præstans in Iudæa regno fuit, relicta tantum לררן *plebe vili & pauperula*, cui Zedekiam regem Nebucadnezar præposuit, II. Reg. xxiv. Rex captiuus Iechonias longo tempore vsque ad Euilmerodachi imperium in vinculis Babylone detent-

tentus libertatem quidem impetrauit tandem & eximiam in aula Chaldaeorum dignitatem : in patriam autem reuerti & regno suo restitui per fata diuina non potuit.

XIII. *Quarta* & vltima deportatio incidit in annum XIX. Nebucadnezaris, quando post biennem obsidionem Hierosolymam Chaldaei deleuerunt, & regem Zedekiam ex fuga retractum, in Syriae urbem Riblatam ad Nebucadnezarem adduxerunt, qui oculis priuatum ad vincula & carcerem Babyloni-um condemnauit. Notissima cetera : vrbs *Riblat* vbi sita fuerit, non vndique clarum inter interpretes est. Hieronymus in Amos VI. 2. vt regionem Riblatam, Hemath autem vt oppidum vel urbem il-lius describit his verbis : **ITE IN HEMATH MAGNAM**, que nunc *Antiochia* nominatur. Magnam au-tem vocat ad distinctionem minoris *Hemath*, que appel-latur *Ephiphania*, -- cuius regio appellatur *Reblata*, in-qua presente *Nebuchodonosoro* regis *Iudae* *Sedechia* inter-fecti sunt filii, & oculi illius extacati.

Sed sibi non constat vir sancte eruditus, & in Esa. XIII, 1. scribit de eodem *Nebuchodonosoro* : *Sedechiam* captum du-xit in *Antiochiam*, que tunc vocabatur *Reblata* : vt vr-bis nomen videatur facere, quod alibi regionis con-stituit : id quod magis probabile se potest reddere, quia *Ierem.* XXXIX. 5. vocatur *Riblat* in terra *Hemath*, atque ita tanquam vrbs a regione distinguitur,

XIV. An vero *Antiochia*, illa metropolis Sy-riae, antiqua *Riblata* fuerit, non sine caussa dubita-mus. *Hemath* Amos VI. extremo limes terrae san-ctae

Etæ aquilonalis ponitur, מלכות חמת ער נחל הערכה
ab introitu Hemath ad torrentem deserti: at vero An-
 tiochia ad Orontem nimis remota in septentrionem
 est. Propior quidem *Epiphania*, quam Hieronymus
 d. l. tanquam *minorem Hematham* magnæ siue Anti-
 ochiæ opponit. Iosephus lib. 1. Antiq. cap. vi i. con-
 sentit de Amata: ἔστι ἡ νῦν ὕπο μὲν τῶν ἐπιχορίων
Αιμάθη καλεσμένη, Μακεδόνες δὲ αὐτὴν ἐπιφάνειαν ἀφ'
ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν, Exstat etiam nunc, ab
indigenis Amata vocatur: Macedones autem *Epiphani-*
am à quodam posteriori rege appellauerunt, quem Hier-
 onymus d. l. *Antiochum Epiphanem* interpretatur, qui
 in Cœlelyria urbem sibi cognominem exorna-
 verit.

XV. Quid ergo? *Hemath* regionis an urbis
 nomen? putamus vtriusque fuisse, & regionis qui-
 dem, quia supra vidimus *in terra Hemath*: & urbis,
 quia Amos vi. epitheton רבה magna habet, & Iose-
 phus de vrbe interpretatur. Quod si *Hemath*
Epiphaniæ nomine aucta fuit, putamus eandem et-
 iam illam *Magnam* fuisse, quod sine dubio illustri-
 locus fuerit oportet, ad cuius introitum toties termi-
 nus Palæstinæ constitutus est. Quod vero *Antio-*
chia Targumistis quoque, Hierosolymitano & Pseu-
 doionathani Gen. X. 18. præter Hieronymum, *He-*
math est, id inde ortum esse coniicimus, quia *Antio-*
chia incrementis suis *Hematham*, quæ postea *Epi-*
phania fuit, insigniter superauit. *Riblatam* quoque
 Ortelius *Antiochiam* interpretatus, ad Hieronymi
 in Ezech. commentaria prouocauit. At is in cap. VI.
 extr.

extr. deserta Deblata in terra Emath ponit, quæ *Epiphania* vocetur, & a multis credatur eadem esse, quæ *Reblat* ab Ieremia appellatur, litterarum confimilium non improbabilis permutatione. Sic rursus incertos nos reliquit Hieronymus. An vero *Emath* siue *Hemath* est vrbs *Epiphania* & *Riblat* arx seu secessus regius in agro Hemathæo siue Epiphanienfi? nihil potest certo definiri: hoc vero putamus probabilius esse.

XVI. Tandem superest pœna Babylonis toties a sacris scriptoribus prædicta, vt Esa. XIII. Ierem. LI. & Psal. CXXXVII. vbi *וירורו* deuastata dicitur. Magnus Scaliger p. 17. ad Fragm. Berosi, remissam fuisse illam pœnam autumat, quam prophætæ Deo inspirante prædixerant. Quod, inquit, dicitur Ierem. LI. 62, 64. *ita desolatum iri Babylonem, vt nullus in ea habitator super sit, plane nobis ignotum est: cui simile, quod refertur commate 37. & Esa. XIII, 21; quum constet etiam temporibus Iuliani integra adhuc mœnia Babylonis superfuisse, quanquam maiori ex parte habitatoribus exhausta, & id quidem non belli vi, sed vicinitate ingentis vrbs Seleucia. Deus O. M. & misericors sustinuit vindictam Nineue denunciatam ab Iona, vt saepe necesse non sit accidere, quæ per prophetas suos intentavit, occulta quadam misericordie sue inexhausta dispensatione.*

XVII. Non addidit vir illustris, quo auctore integritatem mœnium temporibus Iuliani probaverit: quantum vero conicere licet, ad Ammianum

num Marcellinum respexit, de quo ad Eusebium p. 120 notauerat: *totis moenibus suis integra, sed exinata tempore Ammiani Marcellini (Babylon) exstabat;* ibidemque dissentientium sententiam *falsam prophetarum interpretationem* duro verbo appellat, nec tam soluisse nodum, quam gladio dissecuisse videtur. *Ammaianus*, quo nititur, lib. xxiii cap. xx (Valef. vi) *Urbes, inquit, (in Assyria) splendidissime & peruulgatae haec sola sunt tres: Babylon, cuius moenia bitumine Semiramis struxit: & Ctesiphon -- & post hanc Seleucia.* Non autem expressum factis est, Iuliani, an superiori tempore Babylon fuerit vrbs splendidissima orientis.

XII X. Sane Diodorus Siculus, qui sub Augusto Caesare scripsit, lib. ii. cap. ix. de sui temporis Babylone refert, *ἡ πόλις ἔστι μικρὴ καὶ ἐπιπέδου, ἐν ἧς οὐκ ἔστιν οὐδὲν ὕψος, ἀλλὰ πᾶσι μετὰ τὴν πόλιν οὐκ ἔστιν οὐδὲν ὕψος, ἀλλὰ πᾶσι μετὰ τὴν πόλιν οὐκ ἔστιν οὐδὲν ὕψος,* *exigua tum parte habitata fuisse; & æqualis ei Strabo lib. xv. p. 508 ἔφη, ἡ πόλις, maiori parte desertam dicit: & sub Hadriano Pausanias Arcad. p. 264, Babylonis ἄδεν ἔστι, εἰ μὴ τείχεος, nihil reliquum præter muros esse.* Hieronymus, qui proxime post Ammianum scripsit, extremo commentario in Esa. xiiii. ex ore monachi Elamitæ refert, *venationes in Babylone esse, & bestias tantum ambitu murorum coerceri: Peregrinator sæculi xi i Christiani, Benjamin Tudelensis p. 76. ita desolatam esse Babylonem tradit, vt, וראים בני אדם ליכנס בו מפני הנחשים, vereantur homines ingredi propter serpentes & scorpiones locum occupantes.* Digna ver-

verba, quæ ibi vir clarissimus Constantinus I' Em-
pereur commentatus est, vt Scaligerianæ opinioni
opponantur. *Heic, inquit, manifeste videmus, imple-
tas illas minas, quas Dei nomine Esaias cap. XIII, 20. 21.
22. proposuit. Nam se in itinere suo vastatam Babylo-
nem deprehendisse, testatur Benjamin: & quum dicit,
homines metu a palatio Nebucadnezaris abstinere propter
serpentes & scorpiones; cum aliis, tum etiam inprimis
hisce prophetia verbis suffragatur, SERPENTES IN
PALATIIS VOLVPTARIIS, vers. 22.*

XIX. Hodie neque volam nec vestigium su-
peresse, & ne coniecturam quidem certiore loci,
quo exstiterit Babylon, patricius Romanus Petrus
della Valle, *αυτόπτης* testis declarauit. Sic nihil fru-
stra prædictum fuit, & tarditas, quæ Dei misericordiæ
debetur, supplicii grauitate compensata. Vt nihil di-
camus, antiquis iam tum temporibus a Dario Hy-
staspis & *muros circumcisos & portas destructas ac ever-
sas fuisse*, quod Herodotus lib. III. cap. CLIX me-
morauit, quæ primitiæ pœnarum fuerunt, longo
post tempore grauiorem messem habituræ: quam-
quam non negandum sit, ruinas illas sub Persico
imperio reparatas omnes fuisse. Sufficit, quas po-
steriori tempore experta fuit, insanabiles omnino
exstitisse.

XX. Denique de *fine* captiuitatis & Iudæorum
in patriam *regressu* aliquid dicendum est. Sub tri-
bus regibus Persarum hæc facta est restitutio. Pri-
mus, qui CYRVS est, captiuis libertatem dedit & fa-
cultatem reuertendi in patriam anno primo regni

C sui

fui Babylonii. Sed tum ara quidem a duce Zorobabele & Iosua pontifice restituta fuit, templi autem vix posita fundamenta. Vide Esræ I & cap. III. Nam rege Cyro mox in Massageras profecto, ibique extincto, tarde opus sine liberalitate regia processit: a successore autem Cambyse, æmulorum calumniis irritato, prorsus fuit interdictum. Esræ IV, 5. seq.

XXI. Alter rex, qui ad templi & vrbs in-
 staurationem auctoritate sua contulit, DARIUS fuit,
 quem Esras nominat cap. IV, 5. 24, cap. V, 6, cap. VI,
 I. Quum vero plures in Persarum regibus DARI
 fuerint, Hytaspis filius, & Nothus cognomine, &
 Codomanus siue vltimus; de quonam Esras loquu-
 tus sit, maxime controuersum est inter interpretes.
 Summus vir Iosephus Scaliger, quem plures sequuti
 sunt, ad DARIUM NOTHVM refert templi con-
 summationem, hoc potissimum argumento ductus,
 quia Esræ IV, 6, 7, duo reges dicantur Darium an-
 tecessisse, AHASVEROS & ARTHASASTHA, quos
 Xerxem & Artaxerxem Longimanum interpreta-
 tur: quales inter Cyrum & Hytaspis filium non re-
 periantur: & Darius ille duobus stipatus sit Artaxerxibus, Esræ IV, 7. cap. VII, I, qui conuenientif-
 sine sint Longimanus & Mnemon, medium Dari-
 um Nothum habentes.

XXII. Est vero hæc sententia magnis quo-
 que difficultatibus ratione moræ & temporis impli-
 cata, vt ire in illam sine veritatis offensione non pos-
 simus. Si enim ille Esræ Darius est Darius Nothus;
 sequitur moram & impedimenta ædificandi templi
 multo longiora fuisse, quam ipsam pænam captiui-
 tatis,

tatis, & ultra sæculum protracta ab edicto Cyri & prima in patriam reuerfione. Pœna enim LXX annis, vt Ieremias prædixit, definita erat. Quare veteres in hoc argumento fequi conuenientius videtur, quibus Efræ Darius est Darius ille Hyftafpis filius. Iosephus lib. XI cap. IV τὸν Ἰσάσπερ παῖδα Δαρῆιον, *Darium Hyftaspis filium*, oppreffa magorum factione, electum, hunc ipfum esse tradit, qui post Cyrum, templi structuram, aliquamdiu impeditam, continuari & perfici iufferit. Clemens Alexandrinus lib. I.

Stromat. pag. 331 ἐμεινεν ἡ αἰχμαλωσία ἐπὶ ἔτη ἑβδόμη-
κοντα, καταλήξασα εἰς τὸ δεύτερον ἔτος τῆς Δαρῆίου ἔ-
Ἰσάσπου. *Mansit captiuitas annis septuaginta, &*
cessauit anno secundo Darii Hyftaspis filii. Et Eusebius
in Chronico, Hieronymo interprete: OLYMPIAS
LXV, in qua Persarum regis Darii, filii Hyftaspis, fuit
annus secundus. Et paucis interiectis, eodem tamen
rege & eodem anno: *Secundo anno Darii, regis Per-*
sarum, templum in Hierosolymis exstruitur ab Zorobabe-
le, consummatur opus anno quarto. *Remissio quidem*
captiuitatis Iudeorum & venia templi edificandi sub Cyro
exordium habuit, sed consummatur templum sub Dario,
quia vicine gentes assiduis incurfionibus edificationem
templi impederunt.

XXIII. Tertius rex Persarum, qui commodo
Iudæis fuit in reparanda republica, ex secundo est
æstimandus. Sub illo Efras, & deinde Nehemias ex
Babylonia profecti sunt in Judæam: vterque regem
vocat *Artabastham*, id est interpretum consensu, Ar-
taxerxem. Quum vero duo insignes Artaxerxes

in numero Perficorum regum fuerint, Macrochir & Mnemon; pro hac vel illa hypothefi alteruter intelligendus est. Scaligerianis est Artaxerxes Mnemon, qui Darium Nothum fequitus est: de noſtra & veterum ſententia fuit is Artaxerxes Longimanus, quippe Dario Hyſtaſpis vindicauimus, quæ Scaliger in templi inſtauratione dedit Notho.

XXIV. Nunc videndum eſt, quod Scaligeriano argumento ex Eſra iv, 6. 7 reſpondeatur. Sit ita, fuerint duo reges inter Cyrum & Hyſtaſpis filium, Cambyſes, & fratrem eius ſimulans Smerdis magus, qui ſe vtique pro rege geſſit. Notum vero, orientalium regum nomina non vna fuiſſe aut ſimplicia, ſed varia & multiplicata, alia priuata, antequam reges fierent, plura alia honoris & imperii. Quid obefſe ergo poſſit, quo minus idem de nominibus Eſræ iv, 6. 7 factum putemus, vt alter Cambyſes fuerit, alter qui interfectum fratrem Cambyſis mentitus eſt, quem SMERDIN priuato nomine, ac communi cuidam mago, in aula verſanti, Herodorus lib. iiii cap. xxx & lxi appellauit. Quæ latius magni nominis Theologus Abrahamus Calouius, Adnotationibus ad Grorium in h. l. perfequitur, & pluribus rationibus confirmat: qui conſuli poteſt, vt tollatur, ſi qua ſuperest dubitatio.







1018





7

QVOD FELICITER VERTAT
De

CAPTIVITATE BABYLONICA

IN ACADEMIA
P

CHRISTOPHO

HIST. ET EL

pro MAGISTRI Phil

rite

d. xxviii

D

IO. CHR

Tettenbo

H. A. L. A. E.

Recudit Christia

